

Morborum casus, quorum specimen primum / ... exhibet Ericus Odhelius.

Contributors

Odhelius, Eric, 1760-1834.
Sidrén, Jonas, 1723-1799.
Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliae : Johan. Edman, [1785]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yktdhkbk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

39044/10

D. D.

MORBORUM CASUS,

QUORUM

SPECIMEN PRIMUM,

VENIA EXPER. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

JONAS SIDRÉN,

M. D. MED. PRACT. PROF. REG. ET ORD.

S. R. S. M.

PRO GRADU DOCTORIS

EXHIBET

Ericus Odhelius,

ART. OBST. ADJUNCT.

IN AUDIT. GUST. MAJ. D. XI JUNII, ANNI MDCCCLXXXV,

H. A. ET P. M. S.

UPPSALIÆ,

LITTERIS JOHAN. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.

Ølsager
Lund 1811

1811 D.O. 21.11.
J. H. C. Lund
1811

MORBORUM CASUS.

I.

Viginti annorum juvenis, graciliore quidem corpore, sed firma valetudine gavisus fuit usque ad annum 1782, quo artifici, in conficiendis speculis occupato, inservire occoepit, ita ut in adglutinando, quod vocant, folio, opera ejus præcipue versaretur. Quo in negotio ubi per annum fere desudaverat, minui sensim vires, quin ab animi affectu insolitos oboriri sentit tremores; ineunte autem vere anni 1784, hi crebriores ac fortiores, matutino in primis tempore & ab animi perturbationibus, reddeabantur, ut manus pedesque, uno fere eodemque momento correpti, primum quassari, deinde vero ceteræ quoque corporis partes ita infestari coeperrint, ut ne linguae quidem musculi immunes fuerint. Auta dein adeo est tremoris istius violentia, ut certis per diem intervallis labori cuivis impar evaderet, & ab eodem penitus desistere, lectoque detineri versus autumnum tandem cogeretur.

Quum vero die VII Decembris in Nosocomium Regium receptus fuit, totum jam corpus, quietum etiam jacens, parvo sed continuo tremore quasi conspiciebatur; ubi autem vel minime sese moveret, summa violentia inque omnes partes miro & ridiculo modo, Mimi instar, sed sine ullo ægrotantis dolore, versari & distrahi videbantur artus. Latus sinistrum totum, robore fere erat destitutum, & defecerant adeo corporis vires, ut in lecto semet convertere, erectumve tenere corpus nequiverit. Universalibus præterea spasmis quam sœpissime infestabatur

A

tur

tur æger, qui, in sinistro latere primum oborti, & dein per totum corpus sese dispergentes, frigore prænunciabantur, cui postea eodem ordine spasmi succedebant. Hi graviores modo, modo leviores erant, &, pro suæ violentiæ gradu, majorem minoremve secum ferebant dolorem: quinques aut sexies adeo fuerunt vehementes, ut Tetano fere viderentur similes, cum capitis dolore, vertigine & leviori febre coniuncti. Sensus, tam internos quam externos, non turbatos semper conservavit miser; neque vitales, neque naturales, morbo licet sæviente, quidquam pati videbantur functiones.

Purgatis, alvum leniter ducentibus, primis viis, in usum vocabatur Extraætum Stramonii sub pillulari forma ad gr. IV de die, aucta sensim ad gr. XII dosi; quando autem vespertinis horis sæviebant spasmi, data est Tinæ. Thebaica, quæ etiam fecit, ut placide dormire posset ægrotus. His remediis effectum est, ut indies spasmi motusque convulsivi sensim minuerentur, demumque cessarent; neque, sub hac curatione, ulla pupillæ mutatio observata fuit. Die XVI Januarii anni præsentis, una cum usu Stramonii, injunctum est ægro, ut drachmas V pulv. Corticis peruv. quotidie sumeret, unde robur ejus peditentim ita fuit auctum, ut sine aliorum ope cibum capere, sedere & obambulare posset. Fore, ut æger ad sanitatem redditurus esset, aliqua hinc orta est spes, verum mox fere intercepta, cum die V Febr. acerbus nuntius doloris cujusdam ipsum excruciantis adfertur. Inde enim per aliquot dies adeo debilitatus fuit, ut neque bibere neque incedere, nisi adjutus, potuerit; quid? quod etiam spasmi, de quibus supra mentionem fecimus, illum de nuno afficere coeperunt. Usum igitur Chinæ aliquantis per seponere consultum judicabatur, & Stramonium solum adhibere; atque sedatis ex hoc spasmis, ut firmaretur corpus,,

pus, ad Corticem Peruv. iterum reversum est, cui [dein stillicidium aquæ frigidæ, quod Douches appellant, junctum est, idque eo cum fructu, ut sanitati fere perfecte restitutus æger, nosocomio die X Apr. latus valedixerit.

Observatio I. Ex morbi descriptione satis patet, ægrum Chorea S. Viti Sydenhamii affectum fuisse, & hanc suam duxisse originem a Mercurio, quo speculorum officies ad figendum vitris folium utuntur. Haud dissimiles varios alios casus ab eadem caussa prognatos, in Nosocomio Regio Holmiensi vidit Cel. Ass. Reg. Coll. Med. Odhelius, quos benignissime [mecum communicavit. Non immerito igitur inter morbos artificum referri debet peculiaris hic affectus.

II. Morbo huic medelam allaturi, in diversas sententias abierunt Medici, quisque suam methodum proficuam venditans. Venæ sectiones & iterata laxantia Sydenham, Buchan, Sumeirius pluresque commendant; verum, si adoleverit saltem morbus, nunquam adhiberi debent, in primis quum in ægris, quod ex allato casu patet, & Cel. Bisset recte observavit, paralytici quid jam gliscere videtur. In initio autem, orto præsertim ex obstruktione excretionum sangvinearum morbo, necessariam esse interdum sangvinis evacuationem &, ubi fomes mali in primis viis hæret, laxantia, existimamus. Extra hos casus, quæ in Nervos agunt, motus eorum inordinatos, compescendo, præ primis utilia esse, Wetzspreni observationes satis evincunt; stramonium vero reliquis palam præripere, & præsens casus & plures alii, in Nosocomio Reg. Holm. observati, extra omne fere dubium ponunt. En aliis eadem comprobans.

II.

Puella VII annos nata, adversa saepe laborans valitudine, mense Januario hujus anni, nocte quadam a specie, sub insomnio obveniente, valde fuit exterrita. Insequentibus diebus insolitos artuum tremores observarunt parentes, qui, de valetudine filiolae solliciti, Medicum arcessi curarunt. Is curatius omnia pensitans, Choremam esse S. Viti Sydenhamii, qua ægra afficiebatur, mox intellexit, & quum abdomen valde esset tumidum, vermes in causa esse mali suspicatus est, indeque anthelmintica purgantibus juncta præbuit. Tantum vero abest, ut morbus inde mitigaretur, ut potius augeretur indies; varia igitur nervina & antispasmodica, itidem sine successu, adhibita sunt, & cum ægra, jam alioquin sana, ob continuos spasmos ulterius neque incedere neque bibere sine aliorum auxilio potuerit, ad Stramonium, quod in simili casu aliquoties proficuum percepit medicus, deuentum est medio mensis Martii, quo spasmi sensim sensimque sedabantur; integre vero cessarunt firmato, a Corticis peruviani & balneorum frigidorum usu, corpore, ut pristinæ valetudini restituta fuerit ægra.

III.

Quatuor & viginti annorum mulier infirmiore valitudine, primum partum editura, ad Nosocomium, quod puerperis aperitur, die XII Febr. hujus anni adportatur. De languore, vomitionibus & spuriis doloribus conquesita est; &, exploratione facta, constitit, membranas jam fuissè ruptas, os vero uteri parum patens. Sequenti die p. m. curatiorem uteri os permisit inquisitionem, quæ tamen, ob situm foetus elevatiorem, necesse erat, ut tota manu perficeretur: tumque apparuit, pelvim esse constrictiorem, os pubis nimis complanatum, & protuberantiam ossis sacri valde prominentem; compertum præterea-

ca-

caput infantis dextræ incumbere auri & corpus jace-re supinum; inque dextra cavitate iliaca positum esse caput foetus, pedes vero ad sinistram fundi uteri partem. Cum prævio capite partus perfici non posset, versio ten-tabatur, quæ in arctissimo jam utero valde erat difficultis; in multo tamen labore id obtinebatur, ut hora X p. m. ad caput usque extrahi posset foetus. Minima vero hujus la-titudo immobilis hæsit inter os pubis ossisque sacri pro-tuberantiam, nec prius inde, quam hora VI sequentis diei matutina, post multas molitiones liberari potuit. Caput foetus hujus, qui puellus, isque demortuus, erat, Cephalometro Steinii emensum, trium pollicum latitudi-nem, ubi minima erat, vix habuit *).

Peracto partu, de obscuriore visu conquesta est, qui meridiem versus ita augebatur, ut eo prorsus privaretur; supervenit etiam febris, & a potu vomitus. Hæc mala ut levarentur, amplum nuchæ adplicatum fuit Vesicatorium, & refrigerantia præscripta. Die XVI Febr. lumen oculorum redit, febris autem, etsi mitior, cum algore sub-indé redeunte, & leviori quodam versus noctem delirio, continuat. Ut Lochiorum succederet fluxus, decoctum herbarum amarissimæ naturæ in uterum injectum fuit. Lactis aliquantulum mammæ initio dederunt, sed statim penitus ita cessavit, ut ne suetu quidem gutta extrahi potuerit. Die XVIII, tempore intercalari, ad Chinæ usum processum est, sed sine ulla morbi mitigatione; nec per languorem, indies auctum, fieri potuit, quin die XXI Febr. vitam relinquere ægra.

Aperto corpore, insoliti nihil observabatur, usque dum ad ovarium dextrum perventum fuit, quod suppu-

*) Historiam hujus morbi mecum benigne communicavit Ampl. Prof. Jac. Alm.

ratione destruetum videbatur; eodem vitio adfecta inventiebatur, cum tuba ac fimbriis, cellulosa adjacens, quæ, quidquid puris continebant, inter rectum atque uterum in peritonæi plicam effuderunt. Uterus ad naturalem magnitudinem redactus, nulla conceptæ inflammationis signa obtulit; pelvis autem in omnes mensuras arctissima, inter ossis sacri protuberantium & os pubis, trium ad summum pollicum latitudinem vix æquabat: accessit spina ossea, e symphysi ossium pubis prominens, quæ distantiam modo dictam ad dimidium pollicis diminuebat.

Obs. I. Omnium certe obstetricanti difficultimum est determinatu, quando, ob male conformatam pelvem, operatio Cæsarea prossus sit inevitabilis. Per pulchre quidem Auctores Artis obstetriciae docent, foetu maturo, operationem esse instituendam, cum diameter transversalis duos non multum excedit pollices; quo autem modo mensura hæc adeo adcurate sit investiganda, nondum constat. Horrenda igitur hæcce atque sæpiissime lethalis operatio, ante quam manus introductio frustra vel pluries fuerit tentata, me judice, non est suscipienda; cendum autem, ne partium mollium coarctationem atque intumescientiam cum deformitate ossium confundamus, svadet, cum innumeris aliis, allatus jam casus, ubi diameter supra dictus vix duos pollices & quinque lineas æquabat, atque ubi manus non sine magno molimine uto immitti potuerit.

Obs. II. Quando, adversante adeo Lucina, accidit, ut extracti jam corporis infantilis fixum hæreat caput, consultius certe ducimus, veros dolores ipsiusque naturæ beneficium patienter exspectare, quam majori manuum vi vel instrumentorum ope, quorum funestus sæpiissime, semper vero Matri difficultimus est usus, negatam sibimet aperire viam.

IV.

Ancilla L. S. duodeviginti annos nata, teneroris corporis habitus, in Nosocomium Regium Stockholmiense recipiebatur die 14 Februarii. Luxasse se genu, in quo etiam certis temporum intervallis, quemdam se olim, ante novum hoc infortunium, sensisse dolorem, narrabat. Erat jam femur unacum genu adeo tumidum, ut an, aut quo loco fractura exstiterit, pervideri non posset; cruris vero ad femur justa positio, nullam in genu factam luxationem satis indicabat. Fomenta resolventia ex oxycrato & oleo ceræ ipsi genu adhibebantur, quod, ut justum servaret situm, sveto in fracturis modo, deligabatur. Minuto post aliquot dies tumore, fractura, paullo supra condylos, in femore satis evidenter conspiciebatur.

Ægra, per quatuor hebdomadas immota jacens, ea qua pars erat positione tenebatur, transacto vero eo tempore, lecto levata, & duobus primum, deinde uno baculo, ibat suffulta, sed continuum, licet leviorem, imprimis ubi pede niteretur, dolorem sentiebat; mox vero acerbior factus, ut leniretur, Emplastrum e Styrace cum camphora, at frustra, adhibitum est. Quoniam vero versus noctes intensissimus erat, & os supra genu exostosibus quasi tumens sentiebatur, post alia medicamenta incassum tentata, mercurius dulcis in usum vocatur. Vix hujus duodecim granis consumtis, vehemens suborta est salivatio, quam tamen, post quatuordecim dies, coercre poterant idonea medicamenta.

Gravior indies dolor exstitit, & tumor perfectam inflammationis speciem induit. Quæ e re visa sunt medicamina, inflammationis quidem signa decadere sensim jussérunt, sed in affecta parte scindentes passim dolores ac ponderis sensum, & vagos, per universum corpus, hor-

rores pati se ægra querebatur: fluctuatio etiam in affecto loco tactu percipi credebatur: tumor adhibitum est causticum salinum Pharmacopoeæ Svecicæ, & post quinque dies excidebatur. escharra; ex ulcere, puris loco, fungosa caro pullulavit & foetens sanies copiose exibat. Injectio-nes acidi salis diluti factæ, & ulceri camphora cum affa foetida, quo insignis putredo continuo aucta minueretur, imponebatur: spe autem omnis curationis amissa, admonebatur misera, ut amputatione servari se pateretur: brevi vero non permisit indies auctus & diffusior jam tumor, ut operatio hæc posset tentari, quam, jam altius sese extendens caries, quod vereri suberat, inutilem redderet. Resolventia igitur externa & cardiaca lenia interna, sed sine omni fructu, adhibebantur: minuebantur vires, accessit hectica febris, fungus, magnitudinem infantilis capitidis habens, ex ulcere exuberabat, pars affecta magis magisque intumuit, ægræ vero dies decimus sextus Maji supremus erat.

Post mortem ipsa articulatio in genu nihil vitiosi præ se ferebat: extremitas vero inferior femoris a reliquo osse omnino dissoluta, & ita in latus detorta, ut cum condylis angulum formaret. Condyli turgidi, fere cavi, ichore impleti. Periostium a feminis osse separatum ad medium usque: musculi circumiacentes in liquamen putridum resoluti.

Obs. I. Dolor, quo ante infortunium genu afficiebatur, & fractura, quam in osse adeo crasso levior luxatio efficere valuit, satis ostendunt, antea localem hic adfuisse ossis morbum, quod insuper evidentissime confirmat absentia omnis calli, qui alioquin per quatuor hebdomadas formari debuisset.

Obs. II. Signa suppurationis interdum valde esse fallacia, vel ex hoc casu patet.
